QVÆSTIO THEOLOGICA.

De Modo.

Inceptionis Gratiæ Sacramentalis

Sub Felicissimis Auspicijs.

M. FRANCISCI ROLINSKI.

Philosophiæ & Medicinæ Docto:

& Professoris, Consulis CRACOVIEN:

ET

Almæ Vniuersitatis Cracouiensis.

GENERALIS.

RECTORIS.

Longe Dignissimi.

Pro Loco inter Sac. THEOLOGIÆ DOCTORES obtinendo.

Publicè ad defendendum,

PROPOSITA.

A

M. ALBERTO DABROWSKI. Sac. Theol. Doct. & Professore COLLEGA Maiore. Can. S. Flori.

In Celeberrima D. Iagellonis. Aula. Lectorio. DD. Th.

Anno Domini. 1657. Decemb. 15. hora. 16.



CRACOVIÆ,

In Officina Viduæ Lucæ Kupisś. S. R. M. Typ.



QVÆSTIO THEOLOGICA.

VTrum: Sacramenta Nouæ legis, Composita ex rebus determinatis vt Materia; & ex verbis determinatis vt forma; significent & causent per se tanquam Instrumenta Physica, virtute Passionis Christi Domini, Esse Gratiæ, in Instanti Extrinseco: nec ne?

CONCLVSIO. I.

IN Noua lege Sacramenta post Christi Domini Aduentum necessariò dantur.

COROLLARIA.

I. Conuenienter diuiduntur Sacramenta; cum dicitur, quod alia sint Legis Naturæ: Alia Legis scriptæ: Alia Legis Nouæ.

II. Fundamenta, in quibus Ecclesia Catholica subsistit, non alia sunt nisi ipsa Sacramenta: quæ ponere nemo alius potuit, neq́ Papa, neq́ Concilia, nisi solus Christus.

III Eadem Sacramenta Nouæ Legis, non tantùm sunt quidam modi Conuenientissimi colendi Deum; iustificandi homines: sed etiam Medicinæ, peccatorum vulnera curandi.

IV. Condemnandum Hæreticorum dogma, tanquam impium: quo docent Sacramenta Nouæ Legis esse fomēta Idololatriæ; & quasdam derogationes perfectioni Legis Christi.

V. Hypothetica hæc est vera: si peccata non fuissent; nec Christus incarnatus fuisset; nulla darentur Sacramenta.

CONCLVSIO II.

SAcramenta Nouæ Legis, sunt Composita ex Rebus determinatis vt Materia: & ex verbis determinatis vt Forma,

COROL-

COROLLARIA.

I. *Decebat perquam aptè, vt in Ecclesia Visibili militanti, Sacramenta sint res sensibiles, & sub rebus ad extra patentibus.*

II. *Sacramentorum Naturæ Legis Nouæ, id quoq; optimè congruit: nimirum Compositio Physica, Metaphysica, & aliquo modo artificiosa Naturalis: ex Conceptibus tamē nequaquam.*

III. *Sacramentis Nouæ Legis, quo ad substantiam, prorsùs nihil licet addere aut detrahere.*

IV. *Erroneum erit quicunq; vellet ex eo inferre: quia apposuit Concil: Trident: Seß: 24. cap: 1. in Decret: de Reform: Matrim: Conditionem Eßentialem, vt matrimonium sit irritum, nisi fiat, præsente Parocho, & duobus aut tribus testibus: Ergo Ecclesia potest substantialiter sacramenta mùtare aut confundere.*

V. *Res determinatæ, & verba determinata; inferunt magnam differentiam inter sàcramènta Nouæ Legis, & Naturæ Legis: & aliquomodo inter Sacramenta Scriptæ Legis:*

CONCLVSIO III.

SAcramenta Nouæ Legis sunt signa, & Causæ, per se, Instrumentales Physicæ, Gratiæ:

COROLLARIA.

I. *Iure damnata Hæresis, Manichæorum, euacuantium, Sacramenta Nouæ Legis, tanquam sint inania sine effectu, & inutilia sine fructu.*

II. *Idem optandum ijs, qui illa dicunt esse Causas per accidens; aut pura signa.*

III. *Sacramenta Nouæ Legis pro Effectu Primario, & quidem Communi habent Gratiam; Characterem autem pro Effectu Secundario: qui à sacramentis tribus duntaxàt causatur.*

IV. *Neminem fallit Axioma illud: quod in Scholis Theologorum natum est; scilicet Sacramenta id efficiunt quod figurant.*

V. *Causa per se: quoniam est duplex. Principalis & Instrumentalis: hæc deinceps Manifesta & Immanifesta: optimè in eiusmodi Membra diuiditur.*

CONCLVSIO IV.

SAcramenta Nouæ Legis, specialitèr virtute Passionis, Christi Domini, causant Gratiam. CO-

COROLLARIA.

I. *Verißimum illud effatum: nihil ſua virtute operari, & quidquid mouetur ab alio mouetur.*

II. *In præſenti ſtatu Eccleſiæ, paßio Seruatoris Noſtri, Efficiẽter ſe habet ad cauſandam. Gratiam: licet in ſtatu veteris Legis finaliter ſe habuerit.*

III. *Quiuis Miniſter conferens Sacramenta, bonus aut malus, concurrit ad Gratiæ Cauſationem: etiam Laicus, Paganus, & Iudæus Infidelis, ſi tempore neceßitatis baptizet, cum debitâ applicatione materiæ, & formæ, & Intentione Eccleſiæ.*

IV. *Sacramenta Nouæ Legis, non poßunt vocari Entia Rationis, niſi cum addito & Cautela, videlicet ratione ſignificaõnis.*

V. *Conſtat, quam Sacramentis Nouæ Legis, ſit grauiter iniurius Lutherus, Philippus Melanthon, & reliqua fætida lues Hæreticorum, dicentium, quod ſola fides cauſet gratiam.*

CONCLVSIO. V.

SAcramenta Nouæ Legis Eſſe Gratiæ cauſant, in Inſtanti Extrinſeco.

COROLLARIA.

I. *Non impedit, immo de neceßitate eſt, ſi gratiæ ſacramentalis Cauſatum Eſſe, primo & principaliter referatur ad Deum vt Cauſam Autoritatiuam.*

II. *Hoc ipſum Eße Gratiæ Sacramentalis, ita cauſatur, vt ſit totum ſimul & indiuiſibiliter.*

III. *Quamuis alia plurima, menſura temporanea menſurentur; tamen Gratiæ Sacramentalis, neq; Eße, neq; ipſa Inceptio poteſt menſurari.*

IV. *Sacramentum pro eo momento, quo deſinit, & iam non eſt; efficacius effingit Inceptionem Eße Gratiæ, quam dum eſt.*

V. *Idem Sacramentum, poße Vocari Ens Succeßiuum; ſuadet Deſitio ſua & Inceptio Gratiæ Sacramentalis.*

Soli DEO Honor, & Gloria.

B. M. V. & DOCTORI Angelico.

